

1489/g

Handwritten notes and markings, including a large 'C' and the number '10928'.

ms. 3441
KU 825

1489/g

dbl. do 10428, 14224

Karukowski Jan (inwentar m m) i Janot. (Archiw. m m)
Kontymnacja kat. Stog. Opis uściel.
Kierunki p. 29

MONUMENTA HISTORICA

DIOECESEOS

dubl.

WLADISLAVIENSIS.

~~X~~ [tom 9-ty.]
Spis




89

WLADISLAVIAE.

SUMPTIBUS SEMINARIJ DIOECESANI.

TYPIS ARMINII NEUMAN.

1894.



№ 4527

01489

APPROBATUR.

Varsaviae 30 Octobris (11 Novembris) 1893 a.

Judex Surrogatus

Canonicus Metropolitanus R. Filochowski.

pro Secretario J. Podbielski.

ОДОВРЕНО.


Варшава 30 Октября (11 Ноября) 1893 года.

Судья Суррогатъ Варш. Р.-К. Духовной Комисст.,

Каноникъ Митрополитальнаго Капитула

Кс. Р. Филоховскій.

за Секретаря Кс. Подбѣльскій.



Дозволено Цензурою.


Варшава 21 Мая 1894 года.



Ad historiam Dioeceseos Wladislaviensis saeculi XVI elucidandam, plurimum confert *Ratio rerum in episcopatu Wlad. per Stanisl. Karnkowski gestarum*, de qua hic non est necesse disserere, quum ipse lector valorem eius facile observare possit.

Eiusdem certe momenti est *Registrum rerum pretiosarum eccl. cathedralis Wlad.* tempore Mathiae Drevicii, quod omnium id genus documentorum, hic antiquissimum censetur.

Tertio loco damus *Vitas 13 Episcoporum Wlad.* a Zbigneo Oleśnicki ad Nicolaum Wolski (1473—1567), quae vol. 4 archivi Capitularis, post vitas Eppor. Wlad. a Joanne Długosz conscriptas, insertae reperiuntur. Continuator Długosii, certe vir fere contemporaneus, prudens et doctus, ac observator sagacissimus erat, quae operi eius plenam fidem conciliant.



I.

Ratio rerum in Episcopatu Wladislaviensi

per Reverendissimum in Christo Patrem et Dominum Dominum

STANISLAUM KARNKOWSKI

Dei Gratia Archiepiscopum Gnesnensem etc. dum Ecclesiae
Wladislaviensi praeeset gestarum.

Reverendissimo D. HIERONYMO ROZRAŻEWSKI

Nominato, post ipsius translationem, Wladislaviensi Episcopo
Anno Domini 1581 die XX *) exhibita.

Cum Reverendissimus in Christo Pater et Dominus D. Stanislaus Karnkowski, Dei Gratia Wladislaviensis et Pomeraniae Episcopus, in Cathedra sua considens videret, antecessorum suorum negligentia et a Dioecesi absentatione, multa in omnes dioecesis suae partes mala invecta esse: ut et omnia in quibus erratum fuisset, propius intueri, et praesentius ipsis remedium adferre posset, praeter antecessorum suorum consuetudinem, quibus Wolborium residentia fuit, domicilium sibi Wladislaviae fixit, frequenterque ac multo tempore ibidem manere solitus fuit.

Primum autem, ne reformatione, quam uti maxime omnium necessariam esse iudicabat, ita tum iam animo agitabat: repente omnes deterreret: Synodum Dioecesanam Wladislaviae coegit, ut ex illius quasi auctoritate, ea quae in bonum Ecclesiae proposuerat sine odio et invidia facilius ad effectum deduceret. Eius Synodi decreta a S. Sede Apostolica confirmata et typis excussa sunt: proinde in iis immorari supervacaneum esse videtur. Canones quidem Concilii Tridentini, iam tum priusquam ab universa Provincia sunt recepti, et divinatorum Officiorum ordo ad normam

*) Mensis nomen hic commissum.

Ecclesiae Romanae conformatus: Officia et munia singulorum ita certe sunt definita, abusus, errores, et defectus aut sublatis, aut correcti, ut nihil ad perturbationem rerum ecclesiasticarum in ea dioecesi statum, accomodatus dari aut excogitari potuerit. Dum autem ita apud Cathedralem ecclesiam habitaret, nihil intentatum reliquit, quo corruptos sacerdotum mores ad disciplinae ecclesiasticae regulam reduceret. Lectiones apud se publice legere iubet. Clerum iis interesse mandat; ipse contra disputat. Sacerdotes ad mensam frequenter adesse iubet, cum eorum singulis colloquitur, singulos privatim officii admonet. Ita hac consuetudine illius sacerdotes deliniti, ipsi se quodam modo corripere, vitamque a priore longe diversam sequi, et alios qui insolentiores essent, sponte persequi et ad Reverendissimum ultro ipsi deferre coeperunt. Ita factum est, ut Reverendissimus non tantum sine invidia, sed cum maxima laude in fornicarios, et alios scandalosos, poenis canonicis animadverterit opinionemque meliorem clero per hoc restituerit.

Illius ea ratio fuit, ut Reverendissimus Cathedralis sine Praedicatoris, Tribunal sine iudice, chorum minime frequentem, stalla prorsus vacua deprehenderit. Itaque Cathedralis primum Lucae Ordinis Praedicatorum; deinde Leonhardo itidem Dominicano comendaverat. Albertum postea Fabricium, pium et doctum sacerdotem, qui postea Regi ab eleemosynis fuit, nunc Societatis Jesu professus est regulam, eidem praefecerat. Nunc Lucam Vnieiovium, virum non minus probum quam eruditum, eo loci constituit: ac ut competenter apud ecclesiam haerere commodeque vivere concionator in perpetuum possit: vicinam parochiam in Wieniec cum decima, et unum ex canonicatibus officio Praedicatoris annexit. Cuius incorporationis diploma a Sede Apostolica confirmatum est.

Jurisdictioni exercendae virum gravem et prudentem Albertum Borukowski praefecit. Eo deinde mortuo, ad hoc munus virum pietatis et sanctitatis opinione

*Harmodrye
Kalcob.*

clarum, Mathiam Wielicki vocavit. Quem etiam non ita pridem Episcopatu Margaritensi ornavit, Suffraganeumque suum appellavit, et pro commodiori sustentatione, villam Lubomin et Canonicatum Crusviciensem fundi Gizicze, dato privilegio, in perpetuum concessit.

Ab ecclesia Cathedrali paulatim sese illius sollicitudo in reliquis etiam dioecesis partes efferre coepit. Visitationes igitur per Archidiaconum primum, dein de per se ipsum singulis annis peragebat. Equibus quid cuique loco Ecclesiae aut Plebano deesse aut expedire animadverterit, id suppleri curavit, omnibusque prospexit, discholos et flagitiosos punivit, Plebanos quos egentiores nosset, decimis mensae suae vel salariis ex thesauro assignatis, aut aliis rationibus iuvit. Ubi divertisset, nusquam commisit, quin sacerdotes illius loci mensae suae, asseclas haberet, et fraterne tractatos immuneratosque dimitteret. Quinque autem civitatum in Cuiavia maximam semper curam habendam esse duxit, quod eas et haeresibus opportunas, et qua illae opinione fuissent imbutae, eam in reliqua loca facile promanaturam esse iudicaret; hoc est, Brestiae, Nessoviae, Radzieiovii, Juniwladislaviae et Bidgostiae *). Unde Magistratus earum amplecti, beneficiis afficere, in aulaque Regia promovere, Ecclesias earundem omni ratione ornare, Sacerdotes et Scholarum Rectores pios et idoneos apud eas constituere solitus erat. Organa minora seu Positiva, quae vulgo Regalia dicuntur, alterum Radzieioviensi, alterum Nessoviensi ecclesiae donavit. Cum autem alias saepe, tum iis maxime in locis quae visitaturus adisset, conciones ad populum frequenter habuit et multis ubique hominum millibus Confirmationis sacramentum contulit. Qui quidem labor, tantum abest, ut eum aliquando defatigaverit aut fastidium fecerit, ut eum potius maxima semper voluptate affecisse, ac multo maius desiderium in illo sui reliquisse videretur. Tanto enim eius rei flagrabat studio, ut etiam anno praesenti, cum iam Archiepiscopatus in eum de-

*) Brześć, Nieszawa, Radziejów, Inowrocław, Bydgoszcz.

latus esset, insigniora dioecesis suae loca obire, concionibus pro tempore habitis, ovibus suis valedicere, Confirmationis sacramentum plerisque in locis administrare non intermiserit. Fecit hoc Dominica quae dicitur Exaudi, et postridie S. Stanislai festo, quo maximus undique populus ad nundinas confluerat, Brestiae, idem Nessoviae per festa Pentecostes. In Palczino pro festo SS. Trinitatis cum luculentissima concione anniversariam dedicationem obivit. Radzieiovii totam Corporis Christi octavam duplici concione, de Sacerdotio et Sacrificio novae legis, cum stupore audientium haereticorum habita, exegit. Idem alibi Sacrorum Ordinum celebrandorum laborem, non modo legitimis temporibus non detrectavit unquam, sed etiam impetrata a Sede Apostolica idem faciendi tempore vetito facultate, in tota Provincia Gnesnensi gratissimum sibi esse, re ipsa testatus est. Ita ut eius ipsius studii fama plerique permoti, non a provincialibus tantum Episcopis, sed Hungari etiam atque Bohemi cum litteris dimissoriis Ordines petiti ad eum ventitarent.

Ut ecclesiam ipsam Cathedralem, a tanta quantam reperit solitudine vindicaret, Canonicosque ob tenuos redditus diverse oberrantes recolligeret, cum decimae, in quibus praecipua olim sacerdotiorum dos constituta fuit, iam tum a Nobilitate non solverentur, pro quotidianis residentium Canonicorum distributionibus praedium Dobrez, cum aliquot villis assignavit, et eius rei confirmationem studio, opera, et impensa sua a Sede Apostolica obtinuit.

Praeposituram quoque Brestensem, quae duos pagos habet, a Regia Majestate impetravit et eidem Ecclesiae adiunxit. Tum etiam quatuor Praebendas arcis Crusviciensis, quarum sacella iam non extant, et singulae singulas villas habent, cum consensu Regio, ecclesiae Wladislaviensi perpetuo univit. Canonicatus ecclesiae Collegiatae Crusviciensis, Canonicis et Praeclatis ecclesiae Cathedralis Wladislaviensis conferebat: eo consilio, quod eidem ecclesiae Cathedrali semper unire et incorporare contendebat

certo modo: scilicet constituto ibidem Dei verbi Praedicatorum et sex vicariis, qui perpetuo residerent ad divina officia peragenda, prout ea de re exstat decretum in Generali Capitulo eiusdem ecclesiae Crusviciensis. Vicariorum quoque cum exiguus ob ademptos proventus esset numerus, ut eos Ecclesia redintegraret, partem thelonei, quae ipsis iam ab aliquot annis non solvebatur, litteris a Rege impetratis, ipsis restitui fecit. Cumque ea de causa Missa de SS. Trinitate iam ab eis fuisset intermissa, eam Reverendissimus praestita ex thesauro pecunia, restituit.

Jam vero ut non deessent, qui in loca decedentium succederent, *Seminarium* adolescentum, Magistris et Baccalaureis accitis, apud ipsam ecclesiam instituit; et certa bona, privilegio concesso et a Sede Apostolica confirmato, assignavit. Jamque non contemnendus eo studiosorum confluerat numerus, ipsumque Seminarium crescere et florere coeperat: sed peste semel atque iterum Wladislaviae sevientem, ita dispersum est, ut se hucusque recolligere non potuerit. Ex eo Seminario Andreas Pliscius, pietatis vir atque eruditionis summae, ad parochiam Nessoviensem vocatus est. Alter Joannes Grodecus, acerrimus haereticorum persecutor, Radziejoviensi ecclesiae cum summo vitae periculo praeest. Quem Reverendissimus, ut officio suo commodius vacare possit, altero plebanatu in Chelmce et Cantoria Crusviciensi auxit.

Praeterea Scholaribus adolescentibus, qui cantui ecclesiastico vacarent, provisionem quotidianam ex bonis Capitaneatus Wladislaviensis designavit. Quod etiam Wolborii ab eo factum est. Scholam vivere et actibus publicis interesse solitus erat, cui quidem scholae adiunxit aream, una cum domo ad vicarios partinentem, ratione commutationis pro area ab eodem Reverendissimo e regione S. Vitalis, ab olim Reverendo Domino Witkowski Canonico Wladislaviensi acquisita.

Hospitali Wladislaviensi assignata ex redditibus Clavis Wladislaviensis provisione, et litteris desuper

concessis, a Sedeque Aplica confirmatis, meliorem conditionem feci.

Oeconomum Episcopatus, ubi Sedem vacare contingeret, ad instar Ecclesiae Metropolitanae Gnesnensis, cum approbatione Sedis Apostolicae instituit, ne scilicet, quod alibi fit, multitudine administrantium, bona Episcopatus diminuatur.

Organa nova, cum antiquorum destructorum nullus iam usus esse posset, sumptu proprio construi iussit.

Bona sacerdotum, qui intestati decessissent, in usum et fabricam vicinarum Ecclesiarum vel earum apud quas ipsi vitam egissent, convertere solebat.

Iurisdictione exercenda non admodum cuiquam molestus fuit, quam multo ante praedecessorum suorum negligentia, in Cuiavia apud Nobilitatem evuluisse sciret: sacerdotes tantum scandalosos severe puniit. Etsi usquam nobilem adulterum, aut aliquo insigni crimine notatum deprehendit, in eum prius monuit, processus formare iussit. Non quod in tanta hominum licentia, se opere precii aliquid facturum esse speraret, sed ut necessitatem restituendae ecclesiasticae iurisdictionis, quae eiusmodi flagitia perseguere nosset, Nobilitati ea ratione commendaret.

In Pomerania quoque nihil intermisit, quod ad restituendum orthodoxum cultum divinum facere videretur. Quam cum ita funestis haeresibus undique septam, refertam, ac pene in erroribus sepultam vidisset, ad repurgandas primum in bonis suis Ecclesias, quibus etiam (o! diligentiam antecessorum) haeretici rectores praeerant, animum adiecit. His nullo negotio actis, cum ipsa haeticos ministros conscientia foras egisset, civitatem Gedanensem, tanquam caput illius orae, a quo in reliqua oppida et villas, omnes errores promanarent, petere constituit. Opportune accidit, ut cum Regia potestate Commissarius in urbem missus esset, sedecem tum hebdomadis cum summo discrimine in civitate mansit, cum iam antea quoque semel illam visitasset et Monasterium ordinis Praedicatorum, recens ab haeticis occupatum, studio et diligentia sua vindicasset. Sed de templis inferius

Officialem Gedanensem et Pomeraniae, a pluribus annis neglectum et quasi obsoletum, resuscitavit et iurisdictionem in ea urbe salvam hucusque retinuit. Cuius ut evidens et perpetua nota extaret, constitutiones Sigismundi Primi et alias tempore commissionis suae sub Sigismundo Augusto editas, quibus illa firmatur, praelo excudendas curavit, et Officialem suo sumptu semper aluit.

In Coenobio S. Brigittae, in antiqua civitate Gedanensi, Concionatorem germanicum suo sumptu aluit. Duas villas, praetextu executionis Statutorum regni ab eodem Coenobio avulsas, rursus de manibus Castellani Gedanensis, per decretum regium recuperavit.

Inde templa plurima in bonis regalibus per Pomeraniam, mandatis regiis adiutus, ab haereticis vindicavit. Quorum nonnullae Catholicos se mentientes et professionem fidei facere iussos, ubi temerarie se gerere deprehendisset, incarceravit, sed fuga sese redemerunt.

Cumque templa recuperata in maxima sacerdotum caritate (qui sive ab haereticis sibi metuentes, sive oram illam parum humanam, quod nulla spes esset de eleemosyna vivendi, ubi tenuiores essent reditus execrati, manere ibi nolebant) non haberet cui commendaret, non exiguis salariis de thesauro suo assignatis, Plebanos emere et apud Ecclesias alere coactus est: ita ut magnam partem proventuum Capitaneatus Sobcoviensis quotannis in eadem salaria expenderet.

Monasteriorum summam semper curam habuit. Imprimis vero Conventus virginum in Strzelno, cuius laudatam sanctitatem, cum morte Praepositi sui vacaret, ut sartam tectam servaret, fratri suo germano Petro, claustra illius observare iussit, quoad Praepositus vir maturus, integer et Monasterio illi accommodatus eligeretur, neve quispiam ex aula, qui fortasse piam Conventus illius existimationem imminueret, virginibus obtruderetur. Mandatarius Regius tamdium foris expectavit, donec electio de Pecherscio

moderno Praeposito, viro probo et maturo, legitime facta est. Cui ne Rex contraveniret, cum alium quempiam ad hoc munus obeundum, minus aptum, commendaret, gratia sua effecit.

Coronoviense, Olivense, Pelplinense Monasteria visitavit; multa de monachis, quod ociosi vitam agerent, neque tamen vel illo ocio, ad instituti sui rationes uterentur, ut ullam partem laboris pro excolenda vinea Domini acciperent, conqueri consueverat. Imo cuilibet Monasterio informationem quomodo se gerere deberent scripto dabat.

Carthusiense Monasterium desolatum, Abbas Olivensis nullo iure occupavit. Qua de re cum Reverendissimus iure agere vellet; cogitabat enim, aut Societatem Jesu, aut aliquod insigne Seminarium ibi statuere, cum octo praestantes villas pro dote habeat. Sed institutum Reverendissimi practica Abbatis in aula Regia impediverat, quominus res ad finem suum deduci potuit.

Haec quidem in Dioecesi. Sed fervens in Ecclesiam studium, non tulit se finibus unius Dioecesis constringi, ut non uni tantum Dioecesi, sed universae Ecclesiae utilitatis esse posset. Constitutiones Provinciae Gnesnensis, per ocium in unum corpus redegit, et propriis impensis imprimi fecit. Librum quoque Agendorum pro sua quidem tantum Dioecesi edidit: sed editum Synodus Provincialis in usum totius Provinciae receptum approbavit. Volborii Concionatorem, praeter ordinariam illius provisionem in arce quotidianam mensam habere voluit. Adolescentes scholares qui ibidem cantui ecclesiastico vacant, ex Castrensi culina ali iussit. Organa in Łagow constructa et organario immunitas concessa, provisioque assignata. Xenodochium quoque Łagoviense, provisionem perpetuam ex bonis Clavis Pircoviensis cum consensu Capituli obtinuit.

Scholam puerorum Wolborii circiter quinquaginta numero, tam ex nobilibus quam ex plebeis, magnis sumptibus aluit: praeficiendo illis virum doctum et

eruditum, quem bene providit. In qua quidem schola, praeter paucos consanguineos, plurimi alii tam nobiles quam plebei, ipsius impensis fovebantur. In Acadamia Cracoviensi aliquot semper adolescentes, quorum industriam, dura paupertas premeret sub testimonio illius Professorum, toto hoc tempore pecunia frequenter missitata, sustentabat.

In summa. Ubicunque in bonis suis sacerdotem pium, doctum et Ecclesiae necessarium reperiisset, eius ex Curia sua rationem a factore haberi ubique praecepit et necessaria suppeditari.

Eleemosynarum quotidiana largitio fuit, et amplior quidem iis, qui ab aliis pauperibus Ecclesiis assidentibus seuncti, supplicatum veniebant. Nemo enim frustra petiit, qui se modo pauperem dixisset. Adeo quidem, ut quodam tempore oppidani Wolborienses questi fuissent, familiam sibi eleemosynis hisce corrumpi, quae ab operis ociosa, gratuitum denarium expectare mallet. Proinde ipsi ultro descripta nomina eorum, quos iudicaret pauperes, Thesaurario obtulerunt, ne ii, qui laboribus essent idonei, ocio corrumpentur. Talis ille fuit erga Ecclesiam, talis erga Sacerdotes et eos qui litteris operam darent, talis etiam in pauperes.

Cum haereticis difficile dictu quomodo se gesserit. Omnes quidem in universum acri semper odio persecutus est, sed tamen ingeniis eorum varie se accommodabat. Ex uno colligere licet, haeresiarcha Cuiaviensi Jacobo Niemoio: eum partim persuasionibus et disputationibus, cum eo habitis, ad Ecclesiae unitatem reducere conatus est, sed ubi se oleum, et operam perdere, temerariumque haereticum, opinionem suam mordicus tenere videt, neque se ququam proficere posse sperat: villam Dzwierzno, qua illum ad se allicere studuit, quamlibet in rebus politicis non vanam illius operam expertus esset, ipsi ademit, neque deinceps inimicitias dissimulavit. Familiaritate et benevolentia sua nutantem et in fide vacillantem Palatinum Brestensem Służewii ad fidem Catholicam revocavit, et in fide Catholica constabi-

livit, ut de manu eiusdem Sacramentum Eucharistiae sub una specie sumpserit, templumque muro extruxerit, hospitale pauperum, assignata dote trium millium, erexerit.

Viros Catholicae fidei ad honores et dignitates promovebat, causas Catholicorum in Senatu et iudiciis contra haereticos defendebat. Nobilem Słaboszewski, ad intentandam actionem nobili Faliszewski haeretico, pro occupata ecclesia et ablata suppellectili sacra, ad quam commune iuspatronatus habent incitavit, et sumptus litium, nec non pro viatico eidem suppeditavit. Conventus haeticorum observabat, et quotannis circa inchoationem causarum Tribunalis Regni, praesens erat propter assistentiam.

Veritatis amans fuit, in sententiis dicendis libertate magna utebatur: in crimina publica erat valde severus, nec Regi defuncto pepercit, non sine magno discrimine vitae.

Primatialis dignitatis propugnator et defensor acerrimus extitit: quod in ea Ordinis Ecclesiastici et per eminentiam et universae Reipublicae salutem positam esse iudicaret, usque adeo, ut cum primariis viris inimicitias gesserit, ac odia sustinuerit. Electio prima in qua Serenissimus Henricus Rex Galliarum in Regem est electus, magna ex parte eo dirigente, peracta est: cuius ordinem et progressum ad posteritatem transmisit, edito Panegyrico, et Epistola ad Cromerum scripta, in quibus scriptis nil magis contendit, quam ut stabiliat primatum ecclesiasticum. Altera electione cum universus clerus, ob factum Reverendissimi D. Archiepiscopi nuper defuncti, flagraret invidia, et tota fere Nobilitas incensa esset odio in clerum, ac bona ecclesiastica in periculo versarentur; furori Nobilitatis se obiecit et Andreioviam in Conventum nobilium profectus est, perfecitque auctoritate sua, ut per protestationem publice admissam, salva et integra remanerent iura ecclesiastica: vigore eius protestationis et inhaerendo eidem, Serenissimus Rex modernus perlucra, per iudicia ulti-

mae instantiae in bonis ecclesiasticis obtenta, cassavit et annihilavit: paxque Ecclesiae est reddita.

Serenissimo Regi in regnum adventanti, cum is praesentem Episcopum requireret atque id integrum sibi multas ob causas non esset, Reverendum D. Joannem Demetrium Solikowski Scholasticum Lanciensem, suo nomine obviam misit, qui et fidei Catholicae professionem ab eo accepit, et quae Regi Catholicae religionis facienda essent, eius nomine praescripsit, Mathiaque Carscio praesente, Georgium etiam Fabium Capellanum illi addixit, et simul ubi Cracoviam propius accessisset, tres theologos obtulit, quorum unum Socolovium Rex, sibi non infeliciter adscivit.

Contra Confoederationem oratio ipsius extat typis excussa, quam inscripsit de tuenda unitate fidei catholicae, deditque omnem operam, ut coacta, primo quoque tempore, Synodo: publice ab omnibus anathematizaretur et antiquaretur, uti antiquata et abolita est.

Erga familiam mitis fuit et facilis, ita tamen ut disciplinae domesticae rigorem conservaret; alios legendo, alios scribendo, aut aliquo honesto opere exerceret, inertes et ociosos corripere, et ut quisque cuique rei magis idoneus visus est, alios ad ecclesiastica munia, alios ad aulam Regiam, de manu sua traderet. Ita ut aulam ipsius singulare quoddam Ecclesiae et Reipublicae seminarium diceres. Et quidem ubi ad Comitata vel aliquos actus publicos ire necesse esset: ibi ut Comitatus frequentior, ita disciplina remissior fuit, et cum in quietem ventum est, non aulam fovisse, sed scholam aperuisse videretur. Nunquam cuiquam familia ipsius erat molesta. Etsi quisquam agrestiorum iniuriam subdito aut cuipiam alteri intulisset, remque non reconciliatam ad Reverendissimum deferri passus fuisset, ultra poenas quas mandato Reverendissimi perferebat, proscriptione ab aula multabatur. Erga subditos enim ita benignus et clemens erat, ut Praefecti saepe quaererentur, eos benignitate et facilitate Reverendissimi corrumpi.

Plerosque pecunia ex thesauro data, nulla spe restitutionis relicta, in Clave praesertim Pirkoviensi, ad ultimam egestatem redactos, retinuit et in laboribus rationem eorum haberi iussit. Malignitate enim temporum multi ad paupertatem pervenerunt. Si tamen aliqui ignavi ecclesiam non frequentarent, in eos animadverti iussit.

Peculiari quodam favore civitatem Wladislaviam complexus est: cui multas immunitates et privilegia concessit, cum consensu Capituli, quod eo consilio fecit, ut majori frequentia hominum, splendore, et copia rerum, ad victum necessariorum abundaret.

Templa aedificata.

Templum *D. Adalberti* ferme in suburbio Gedanensi situm, a 28 annis exustum et desolatum, frumentibus Gedanensibus, magno sumpto a Reverendissimo ab ipsis pene fundamentis restauratum, magna populi frequentia consecratum. Ad eam Ecclesiam 24 villae tam Reverendissimi, quam Gedanensium, praeter domos nobilium, ex antiqua fundatione pertinent, tres lanei pro sustentatione Plebani per Reverendissimum recens adiecti, et domus plebanalis circa templum extracta.

Templum in *Pechowo*, villa nobilium Withosławskie, opera, consilio et solitudine Reverendissimi per eosdem nobiles extractum, et dos attributa, ac a Reverendissimo cum consensu Capituli concessione decimae episcopalis, ex fundo eorum nobilium, aucta. Consecratum est magna populi frequentia. Parochia tota Lissoviensis, ubi ecclesia per Niemoiewski est profanata, eo translata est. Iuspatronatus Episcopo reservatum, ubi eiusdem villae haeredes in haeresim prolapsi fuerint.

Templum in *Grabica*, praedio episcopali, novum nec inelegans extractum est: ex iisdem bonis fundandum, nondum consecratum.

In *Dzierzazno* media pars templi propter angustiam latere cocto aedificata, et veteri structurae adiecta. Fundatio antiqua.

Templum novum in *Brodnia*, praedio episcopali situm, hoc anno, ideoque nondum consecratum. Fundatio vetus, et templum antiquum ruinosum adhuc superest.

Sacellum sive Oratorium in curia Pircoviensi aedificatum, sine fundatione.

In *Karnkow*, rure paterno, templum latere cocto extruxit et ipsemet consecravit. Antiquum vero e robore, inde sublatum, ad oppidum regium *Podjórze*, in conspectu civitatis Torunensis, transferri fecit.

Haec quidem de novo extracta. Multa antea consecrata, plurima reconciliata sunt, ut in *Przedecz*, in *Konecko*; Sacella in civitatibus ut in *Niessewa* (*Nieszawa*), *Junivoladislaviae*, *Bidgostiae*.

Templa amissa.

Altare maius in templo *B. Mariae* a Gedanensibus tempore interregni interceptum, quod postea recuperare non potuit.

Templum in villa *Kościół*, a nobilibus eiusdem villae tempore interregni ademptum, et profanatum.

Templa recuperata.

Templum in villa *Szpital* trans fluvium, e regione civitatis Wladislaviensis, de manibus Chodowskie, quod iam 7 annis ab haereticis occupatum fuit.

Templum in *Piaski* de manibus Chodowskie vindicatum.

Tria templa in *Nove*, per viam iuris una, cum dote et supellectili ab haereticis per decretum regium recuperata: haeretici eiecti; Plebanus, Rector Scholae et alii administri constituti.

Templum *Dersoviae* (*Tezewo*) Catholicis restitutum, sed tumultus Gedanensium tempore, magna illius pars conflagravit, quam Reverendissimus divenditis aliquibus clenodiis recifere iussit: reliquam partem S. R. Maiestas promisit se refecturam.

Templum in *Lelkowo* in Pomerania, et alia in *Brzozow* et *Puczk*, de manibus tenutariorum haereticorum eliberavit, plebanosque ibidem constituit.

De templo in *Piranie* recuperando multum laborabat, sed cum perficere non posset, decimam eo pertinentem, litteris a Rege obtentis, Ecclesiae Radziejoviensi adiunxit.

Praerogativam Episcopi Cuiaviensis in Coronatione Regum, contra Archiepiscopum Leopoliensem et Episcopum Posnanensem egregie defendit, ut in coronatione Henrici Regis, ipse tantum cum Episcopo Cracoviensi Regem coronaret.

In coronatione autem Regis Stephani et Reginae Annae, novam Episcopo Wladislaviensi quaesivit praerogativam, eam nempe, ut absente vel mortuo vel etiam nolente Archiepiscopo Gnesnensi, coronatio Regis non ad alium, quam ad primum Senatorem Palatinatum Maioris Poloniae pertineret: is autem est Episcopus Cuiaviensis. Ne autem ea re dignitati Archiepiscopi, quod in dissidio Reipublicae ad coronationem Regis Reverendissimus Gnesnensis Archiepiscopus non accesserat, aut praerogativae derogatum esse, aut praeiudicatum videretur, non prius ad eam Regis coronationem descendit, quam ea de re legitima et legibus Regni congrua ab Ordinibus declaratio, qua dignitati Archiepiscopi et praerogativae Primatis cautum esset, decerneretur.


Aedificia privata.

Arcem Wladislaviensem novis pene omnibus aedificiis exornavit. Maiore tantum modo lapidea domo excepta. Cui tamen turrim muratam ex fundamentis, quae gradus continet adiunxit.

Aggerem, quo Wladislaviensis arx ab imminente fluctuum tempestate munitur, paravit et singulis annis quibusque refecit.

Portam in arce Wladislaviensi ad orientem aperuit et pontem editiorem in columnis lapideis, propter inundationem Vistulae quae ubi accreverit, maiorem partem occupare solet, construxit.

In curia *Pircoviensi* magnam domum, ubi oratorium est, aedificavit.



In *Smardzewice*, magna domus supra fluvium *Pilicza* (*Pilica*) constituta. Porta sepibus ac fossa in orbem munita. Ibidem braxatorium constructum.

In *Niesulkow* domus non inelegans locata.

In *Laznow* duae domus, altera in praedio, altera in curia plebanali constructae sunt.

Arcem *Wolboriensem*, aedificiis circum circa ligneis auxit.

In *Ciechocin* domus nova aedificata, una cum hollodio.

Limites bonorum.

De finibus bonorum multas antiquas et intricatas controversias diremit. Praecipuas vero: Inter *Grabica* et *Dlutow* Capituli Cracoviensis. Inter *Laznow* et *Kurowice* eiusdem Capituli. Inter *Stawsko* et *Bozeiowice*, Castellani Krziwinensis. Inter *Gajkowice* et *Sierostaw* cum *Sosniozki*, quibus ipse personalter interfuit, non sine magno sumptu.

Acquisita.

Bona *Falentii* cum pertinentiis, per viam iuris, maximis impensis Episcopatus adiuncta.

Magna pars villae *Grziwna* a Nobilibus, qui eam haereditarie sibi usurpabant, iure vindicata.

Multa alia extant documenta singularis cultus et observantiae eiusdem Reverendissimi erga Ecclesiam et Rempublicam, tam privatim quam publice facta. Sed haec dumtaxat scripsisse sufficiant. Illud certe praetereundum non est, ex quo facile deprehendi potest: quid in omnibus actionibus suis potissimum spectaverit. Librum Visitationis in quo descripta erant per Archidiaconatus omnia loca, Parochiae, templa, Monasteria, Hospitalia pauperum, Capellae, rationes eorum et defectus, saepe in manu versabat et inspiciebat, ut ex occasione et pro ratione loci et temporis, defectibus occurreret et prospiceret. Quem librum appellabat Librum rationum suarum, ex quo muneris sui episcopalis in Extremo Iudicio calcu-

lum Deo Optimo Maximo facturus esset. Vitas quoque Pontificum praedecessorum suorum lectitabat, ut vitia fugeret et virtutes emularetur. Utrumque librum Reverendissimo successori suo dari iussit.

II.

Anno Domini 1516 die veneris 30 Maji

MATHIAS

Dei gratia episcopus Wladislaviensis praesentibus Venerabilibus viris videlicet, Nicolao Żukowski Cantore et Gabriele Parzniewski Canonico ac Mathia Thurski vice-custode Ecclesiae Wladislaviensis supellectilis huius ecclesiae fidele Inventarium compilavimus.

Primo pluviale rubeum ab Oporowski episcopo, de axamito rubeo cum auro, habens fimbrias et scutum margaritis intextum. Scuto vero nodus margaritis et argenteis adornatus appensus est; circa fimbrias sunt arma Sulimae et in alia rosa margarithea.

Pluviale a Creslao episcopo de adamasco albo cum viridi permixto, cum imaginibus Beatae Virginis auro intextis, habens fimbrias margaritis insutas et clipeum cum linea ad partem anteriorem claudenda, cum armis rosae, et habens nodum margariteum in clipeo pendentem, subductum camcha rubea floribus albis immixta.

Pluviale nigrum de axamito auro intextum, habens fimbrias de margaritis bonis in flores rosarum formatas.

Pluviale de rubeo adamasco cum auro, per Siemieński episcopum comparatum, habens fimbrias cum imaginibus ex auro contextas labore italo et scutum

cum imagine Beatae Virginis Assumptionis cum nodo margaritheo et in scuto arma Dambno.

Pluviale viridis coloris axamenteum cum auro.

Pluviale rubei axamiti cum auro.

Pluviale breve et antiquum de axamito rubeo.

Pluviale de axamito turcico florisato, rubeis et viridibus floribus in albo fundo, scilicet habens fimbrias de axamito viridi cum auro et scutum de eodem axamito simplici cum globo argenteo deaurato.

Pluviale ex bono camchatu cum auro, ex floribus rubeis, viridibus et albis contextum, habens fimbrias de axamito viridi cum auro,

Pluviale ex camchatu bono cum auro, habens fimbrias de rubeo axamito cum auro, subductum tela rubea.

Pluviale ex camchatu bono cum auro, habens fimbrias de rubeo axamito cum auro, subductum tela flavea.

Pluviale ex camchatu bono cum auro, habens fimbrias ex zonis aureis intextas, subductum tela rubea.

Pluviale ex camchatu bono aureo, habens fimbrias auro et figuris prophetarum adornatas.

Pluviale ex camchatu bono cum auro, sine fimbriis, tela rubea subductum.

Pluviale nigrum de axamito nigro plano, tela flavea subductum.

Pluviale aliud ex camchatu bono cum auro, sine fimbriis, tela rubea est subductum.

Pluviale nigrum de atlasio nigro.

Pluviale vetus ex axamito nigro, floribus albis, rubeis, flaveis insperso, in fundo viridi, habens fimbrias in modum lineae auro intextas, cum scuto angelis aureis adornato.

Pluviale ex camchatu bono auro intexto, tela viridi subductum.

Pluviale nigrum de nigro adamasco, habens scutum cum rosa et infula a Creslao episcopo.

Pluviale vetus ex axamito nigro et viridi florisato, habens fimbrias auro intextas, cum imagi-

nibus Passionis Domini, habens scutum cum armis Brogum.

Pluviale nigrum vetus, de axamito nigro, cum fimbriis auream scripturam habentibus.

Pluviale nigrum de axamito nigro, vetus, florissatum.

Pluviale vetus ex brunatico axamito, florissatum, ad denigrandum deputatum.

Pluviale album adamasci albi.

Pluviale ex atlasio rubeo, habens nodum cristalinum circa capam.

Pluviale ex brunatico coffter vetus.

Pluviale griseum ex coffter griseo, vetus.

Pluviale vetus ex camcha cum auro, habens scutum ex camcha, cum nodulo ex coralo, et tawta viridi subductum.

Pluviale vetus ex camcha cum auro, laceratum, albis floribus inspersum et intextum.

Pluviale rubeum ex coffter, habens nodum circa scutum cum margaritis.

Duo pluvialia pro choro, vetusta, ex camcha rubea et alba.

Pluviale vetus ex rubeis et glaucis floribus de samaritanka, pro choro.

Pluviale pro choro ex camcha rubea et glauca.

Pluviale camchae simplicis ex floribus viridibus et brunaticis.

Pluvialia quatuor vetusta ex postaviecz.

Pluviale coloris viridis ex axamito auro illito, habens fimbrias cum imaginibus Beatae Virginis et Apostolorum atque in infimo arma bovis infulata, ac scutum cum figura Assumptionis gloriosae Virginis, hoc quidem licet apud me episcopum sit, ecclesiae tamen datum esse censeatur.

Pluviale nigrum cum axamento auro illito, in scuto de eadem sorte axamenti, cum aquila argentea alba, a Maiestate Regia anno Domini 1526 datum. *dar Anil wach*
(Haec manu ipsius epi Malinae Drzewicki scripta et adiecta sunt.)

Regestrum scutorum Cappis non assutorum.

Scutum viride ex axamito cum auro, cum rosa
et infula.

*To arma in fulata
in rosa, infula
cum rosa infulata*

Scutum ex axamito viridi cum auro, cum imagi-
ne Beatae Virginis.

Scutum rubeum ex axamito cum auro, cum rosa
et infula.

Scutum intextum ex filis aureis et sericeis, cum
rosa et infula.

Scutum griseum cum imagine Beatae Virginis
in sole.

Scutum viride ex filis aureis et serico rubeo
contextum, cum rosa et infula.

Scutum cum imaginibus Annuntiationis Mariae,
paucis margaritis adornatum.

Duae tabulae pro dalmatias adornandis, imagi-
nibus, margaritis et auro adornatae.

Regestrum Casularum.

Casula ex adamasco, albis, viridibus et rubeis floribus
cum auro intexto, habens imagines intextas ex auro,
cum armis rosae et infula, a Domino Creslao episcopo,
habens crucem margaritis paucis et lapillis adornatam.
Quaecasula habet albam, stolam ac manipulare sibi si-
milia, et humerale ex margaritis cum tribus imagini-
bus: Beatae Virginis, S. Stanislai et Wolffgangi.

Casula de axamito flaveo cum auro, subducta
adamasco rubeo, habens crucem margaritis adornatam,
in eius summitate Sanctus Gregorius et inferius S.
Trinitas cum aliis figuris, clipeum cum rosa habens,
a Creslao. Item habens humerale de margaritis cum
immagine pictatis (i. e. *punctis distincta*) Beatae Virginis
et S. Joannis, habens quoque albam, stolam et mani-
pulare, cingulum.

Casula brunatica ex axamito cum auro, habens
crucem margaritis adornatam, cum Passione Christi.
Item habens humerale antiquum ex margaritis, cum
imaginibus Beatae Virginis, S. Stanislai et Adalberti.
Item habens albam, stolam, manipulare et cingulum.

Casula rubei axamiti cum auro, habens crucem margaritis adornatam, cum imaginibus Beatæ Virginis et certarum Virginum Sanctarum. Item habens humerale cum rosa margaritea et certis argenteis deauratis, florisatis, laminicatis; habens quoque albam, stolam et manipulare cum cingulo.

Casula rubei axamiti cum auro, laboris vetusti, tela nigra subducta, habens crucem margaritis adornatam, cum armis Sulima infra crucem; habens humerale vetus, margaritis adornatum, cum armis Dambno et imagine Beatæ Virginis, albam quoque, stolam et manipulare habens et cingulum.

Casula ex axamito nigro cum auro, habens crucem cum Passione Christi auro intextam, habens quoque humerale paucis margaritis adornatum, cum figuris Beatæ Virginis et sanctarum virginum, scilicet Katharinae et Barbarae; stolam, manipulare et albam habens fimbriatam porcionibus camchae cum auro.

Casula ex adamasco cum auro filis brunaticis intexto, habens crucem cum imagine Beatæ Virginis in sole, paucis margaritis et parvis adornatam, in cuius infinitate arma in scuto sagitta; habens humerale simile, stolam, manipulare et albam.

Casula vetus ex axamito bono cum auro, brunatici coloris, sine cruce, habens humerale rubei axamiti cum auro, manipulare brunaticum cum auro, stolam ex camcha cum auro, et albam cum porcionibus camchae cum auro fimbriatam.

Casula ex axamito flaveo florisato, in fundo glauco, habens crucem paucis margaritis in diatematibus sanctorum adornatum; item habens humerale cum litteris Jesus Nazareus etc., albam, manipulare et stolam brunaticam et cingulum.

Casula ex camcha bona, cum cruce auro intexta, in cuius imo arma lithuanica pogonija Reginae Zophiae, habens humerale contextum ex filis auri et serici rubei et viridis, stolam, manipulare et albam habens.

Casula alba ex axamito albo cum auro, habens arma infulata in imo, nave videlicet; habens quo-

no Lodov

que humerale, stolam, manipulare et albam ex eodem axamito.

Casula nigra ex axamito nigro, habens crucem auro serico intextam cum Passione Christi, in cuius imo rosa infulata; habens humerale cum imaginibus pictatis Beatae Virginis et S. Joannis cum rosis; habens quoque albam, stolam et manipulare.

Casula nigra ex axamito florisato, habens albam, stolam, humerale, manipulare ex pari axamito.

Casula alba ex adamasco albo, habens crucem cum passione Domini auro intextam, habens albam, stolam, manipulare et humerale et cingulum.

Casula albi adamasci, habens humerale, stolam albam, manipulare, humerale vero ex axamito rubeo, cum auro.

Casula alba ex coffter, cum crucibus et litteris graecis, habens albam et humerale ex axamito rubeo cum auro, cum cruce filis argenteis intexta, stolam habens et manipulare ex zona aurea.

Casula alba ex bisso, habens crucem de sarlato, habensque humerale, album, stolam griseam, manipulare album et albam.

Casula axamiti nigri turcici cum auro, in fun-^{nt}do rubeo, habens humerale albam, stolam et manipulare.

Casula axamiti flavei cum auro, antiqui laboris, flores habens aureos in modum piri, cum alba, stola et humerali ac manipulari.

Casula ex adamasco rubeo cum auro antiquo, sine cruce, habens stolam griseam, albam, humerale de axamito brunatico, manipulare.

Casula ex adamasco croceo cum floribus argenteis, habens humerale ex axamito rubeo cum auro, stolam coloris, eiusdem et manipulare de adamasco.

Casula ex adamasco griseo et glacuo, habens humerale, stolam, manipulare, albam similia.

Casula viridis axamenti in auro, habens crucem auro intextam in armis vituli Mathei episcopi. (*Haec manu epi Drzewicki adiecta*).

Casula ex adamasco coelestini coloris, habens albam, humerale ex czamleto auro intexto, stolam, manipulare, nigra tela subducta eadem casula.

Casula ex adamasco coelestini et rubei permixti coloris, habens albam, stolam, manipulare et humerale.

Casula ex adamasco griseo, habens stolam, manipulare griseum de czamleto, humerale de axamito flaveo cum auro et albam; subducta tela flavea ipsa casula.

Casula ex adamasco griseo, subducta tela rubea, habens humerale, stolam, albam et manipulare.

Casula ex adamasco leonini coloris, habens crucem cum Passione Christi, humerale habens axamiti flavei cum auro, stolam et albam.

Casula ex camchatu bono cum auro, subducta tela flavea, habens humerale alterius coloris, stolam et manipulare.

Casula nigra ex antiquo adamasco cum auro, habens albam, humerale, stolam, manipulare.

Casula et taffa viridi, habens crucem de sarlato, albam, stolam, manipulare et humerale.

Casula nigra ex adamasco nigro, rosam infulatam habens, tela flavea subducta, habens humerale, stolam, manipulare et albam.

Casula adamasci nigri permixti cum glauco obscuro, tela flavea subducta, habens albam, manipulare, stolam et humerale.

Casula ex camcha bona, viridi et flavea, mixta auro, habens albam, stolam, humerale et manipulare.

Casula ex camcha cum auro, habens arma navim infulatam in infimo eiusdem casulae, habens quoque humerale, stolam, manipulare et albam.

Casula ex postawiecz viridis et diversi coloris, habens albam, stolam, manipulare et humerale.

Casula axamiti rubei, antiqui, florisati, tela nigra subducta, habens humerale, stolam, manipulare et albam.

Casula et atlasio brunatico, tela flavea subducta, habens albam, humerale, stolam et manipulare.

Casula ex coffter flaveo, cum omnibus attinentiis.

Casula ex arasio nigro, cum omnibus attinentiis.

Casula ex coffter rubeo, antiqua, cum cruce, habeas albam, humerale, stolam et manipulare.

Casula de camcha cum auro, cum alba et humerali, data pro roboribus olim Petri Dolsski, pro anima eiusdem.

Casula cum humerali margaritis intexto, flavea, ex adamasco in auro et vitulis intextis, per Mathiam Drevecium episcopum data Anno Domini 1518, cum alba et stola, et habet crucem paucis margaritis ornatam. (*Haec manu epi Drevecii scripta*).

Casula de camcha pretiosa, auro illita et armis meis, tauro videlicet, insignita: ego Mathias episcopus Ecclesiae dedi tum, quando Ecclesiam antecastrensem S. Stanislao consecravi, Anno Domini 1524 Julii 24 die. (*Haec manu ipsius Math. Drevecii adiecta*).

Regestrum Dalmaticarum.

Dalmaticae binae Creslai Episcopi, conformes casulae ex adamasco, habentes imaginem Beatae Virginis intextam cum auro.

Dalmaticae binae ex axamito flaveo cum auro, ornatui suo conformes.

Dalmaticae binae rubeae, ex antiquo et bono axamito de auro, conformes ornatui suo.

Dalmaticae ex adamasco aureo, serico brunatico intexto, ornatui suo conformes.

Dalmaticae binae ex camcha cum auro, habentes scapularia ex auro facta, cum foliis sericeis.

Dalmaticae ex bona camcha cum auro, tela flava subductae.

Dalmaticae binae ex camcha cum auro, albis et viridibus coloribus intextae.

Dalmaticae ex bona camcha cum auro, flores oblongos aureos habentes et intortos.

Dalmaticae et adamasco nigro et glauco obscuro.

Dalmaticae nigrae de adamasco, rosa et infula inferius insignitae.

Dalmaticae ex camchatu nigro et flaveo, auro intextae.

Dalmaticae ex camcha cum auro, coloris nigri et rubei albo inspersi.

Dalmaticae rubeae ex adamasco.

Dalmaticae axamiti flavei florisati, subtus habentes imagines auro intextas.

Dalmaticae binae adamasci rubei cum auro, florisati floribus viridibus et flaveis, ornatui suo pares.

Dalmaticae croceae ex adamasco argento intexto ornatui suo pares.

Dalmaticae albi adamasci.

Dalmaticae albi coffter, cum crucibus et litteris graecis.

Dalmaticae nigrae ex axamito plano, tela flavea subductae.

Dalmaticae nigri atlasii, tela rubea subductae.

Dalmaticae ex camcha cum auro, cum floribus viridibus et albis, communes.

Par dalmaticarum coelestini coloris cum auro, de adamasco, datarum per Mathiam Dreyvicium Episcopum 1518. (*Haec manu eiusdem episcopi adiecta*).

Antependia maioris altaris.

Antependium flavei axamiti plani, cum aureis imaginibus et armis Dambno.

Antependium flaveum ex axamito cum auro.

Antependium ex adamasco albo et viridi, cum armis rosae et imaginibus auro intextis Beatae Virginis.

Antependium ex camchatibus rubea et nigra ac flavea divisum.

Antependium ex coffter albo, cum crucibus et litteris graecis.

Antependium de stich cum armis Sulima infulata.

Antependium vetus diversi coloris, feriale.

Antependium vetus viride et griseum, destructum.
Antependium albi adamasci cum sericeis ornamentis ex filo.

Antependium nigrum ex adamasco nigro.

Antependium pro Sede Sacramenti ex camchatu rubeo et glauco.

Antependia ad minora altaria.

Antependium ex adamasco viridi et rubeo, ad altare Corporis Christi.

Antependium albi adamasci, ad parvum altare; item aliud albi adamasci.

Antependium de kytayka flavea, nigra tela subductum.

Antependium leonini coloris ex adamasco.

Antependium album ex bisso albo.

Antependium ex camcha cum auro, ad capellam pertinens.

Antependium ex simplici camcha rubea et alba, ad altare Trinitatis.

Antependium ad altare S. Trinitatis ex axamito rubeo et flaveo, cum lineis ex camcha intersertis.

Antependium ex axamito brunatico florisato, ad altare Corporis Christi, in fundo glauco.

Antependium novum de coelestini coloris adamasco, in auro cum camcha aurea mixtum, in die S. Michaelis a Domino Matthia Drevicio Episcopo datum, cum armis eius intextis. Anno Domini 1518. (*Haec manu eiusdem episcopi Drevicii adiecta*).

Regestrum Tunicellarum.

Duae tunicellae rubeae ex kytayka, viridi thawta subductae.

Tunicella flavea ex adamasco cum auro, alia ex coffer variato cum auro.

Tunicella ex adamasco flaveo alias blankithnij, et alia ex camchatu flaveo, florisata floribus glaucis.

Tunicella brunatica de kithayka vetus.

Porciones axamentorum et rerum sericearum.

Porcio axamiti flavei cum auro octo ulnarum cum media.

Porcio axamiti brunatici cum auro, ulnae quinque minus media quarta.

Porcio axamiti rubei cum auro, ulnae octo minus media quarta.

Duae porciunculae quadriangulares de axamito brunatico cum auro.

Duae porciunculae de camchatu bono cum auro.

Una sericea porcio varii coloris turcica, ad tegendam mensam in coena Domini.

Quatuor porciones ad dalmaticas pertinentes cum imaginibus auro insutae.

Unum par filateriorum ad capam intextorum auro malo.

Crux ad ornatum cum imagine Beatae Virginis ex malo auro.

Crux vetus bono auro intexta, cum Crucifixo et certis figuris passionis, cum armis deorsum acervo.

Tectura pro legendo pulpito de camchatu albo et rubeo, cum sericeis circumferenciis pendentibus.

Tectura ex adamasco viridi, circumserta adamasco rubeo.

Tectura vetus ex camcha florisata.

Tectura etiam vetus ex camchatu malo auro intexto. Schodi albae kijthacze, cum auro, una et alia *Cote just*
cum argento. Tres schodes simplices subtiles.

Tectura sepulchri ex camcha.

Pelle (*pallae*) auro intextae.

Duae scherzinki pro preparacione auro intextae mediocres.

Duae scherzinki alias pellae pro altari, auro intextae, una cum rosis et viridi serico pendente, et alia cum Jesus in medio ex auro intextae in athlasio rubeo.

Duo gremialia auro intexta.

Pelle cum serico.

Duo manutergia (*manutergia*) oblonga, serico et auro insuta, ad usum comunicandorum.

Pella altaris magni auro intexta, cum rosa alba.

Pella super magnum altare auro et serico intexta, cum armis rosae et signo.

Pella vetus magna, serico tantummodo intexta.

Pella rubeo serico insuta.

Pella auro et serico vario, cum armis rosae et Srzeniawa intexta.

Pella mediocris antiqua, serico et auro intexta.

Pella magni altaris serico intexta.

Duae pellae antiquae serico intextae.

Velum pro consecratione chrismatis.

Velum quadragesimale.

Argentum Ecclesiae.

Monstrancia argentea deaurata, magna.

Crux cum ligno vitae, deaurata, magna, absque sede, habens particulam in medio non deauratam.

Manus argentea deaurata cum reliquiis Cosmae et Damiani.

Duae cruces argenteae cum sedibus et reliquiis' adornatae vitro duplato.

Crux parva argentea deaurata, habens pedem argenteum.

Crux parva argentea vetus, in bursula.

Caput argenteum S. Benignae, habens sertum argenteum cum tribus zaphiris et una vetusta margarita.

Caput argenteum cum cervice undecim millium Virginum, habens sertum cum lapidibus: duo virides prassic, unus granatus et unus zaphirus simplex.

Manus argentea deaurata cum reliquiis, adornata vitro duplato.

Caput ex argento, S. Vitalis.

Caput S. Tirsii in argentum inclusum.

Caput S. Dalmacii argento inclusum.

Scatula argentea cum reliquiis multis in cristallo inclusis.

Archula argentea cum reliquiis.

Duo candelabra argentea oblonga.

Tabernaculum parvum deauratum cum reliquiis, habens lapillum ad instar iacincti (*hyacinthus*).

Tabernaculum cum reliquiis, deauratum, cum cathena argentea.

Tabernaculum argenteum cum imagine S. Barbarae in concha sculptae.

Sacculus cum reliquiis.

Tabernaculum ex ossa, cum reliquiis.

Tabernaculum ad instar monilis cum Angelo, in superficie reliquiis refertum.

Tabernaculum argenteum deauratum, a tergo habens imaginem Virginis cum infante.

Tabernaculum parvulum argenteum deauratum, cum imagine B. Virginis, in concha sculptum.

Tabernaculum argenteum deauratum, cum reliquiis, habens imaginem Annuntiationis B. Virginis, in concha sculptum.

Ampulae duae magnae deauratae, cum armis Dambno.

Ampulae duae deauratae, cum armis rosae.

Ampulae paulo minores deauratae, draconem pro manubio habentes.

Ampulae argenteae albae, parum deauratae, cum scuto rosae et signum etc.

Ampulae vetustae duae parvae, argenteae.

Ampulae albae communes parvae, simplicis laboris.

Duo thuribula argentea.

Tertium thuribulare minus graeci laboris.

Navicella argentea vetusti laboris, sine pede.

Pixis argentea pro thure servando.

Pixis argentea pro oblatiis servandis.

Crux pectoralis aurea, sine cathena, a Creslao, habens adamantes acutos et zaphiros et margaritas, in usum pontificalem data.

Calices.

Calices magni deaurati et parvi insunt duodecim.

Calices tres argentei non deaurati, destructi.

Calices tres argentei communes, non deaurati.

Calix novus deauratus, per D. archidiaconum praesentatus.

Pelvis argentea cum armis rosae. Item nalewka parva argentea, a Domino Koszceleccki episcopo Chelmensi.

Cantarus ex cristallo cum argento infusorius.

Quattuor annuli pontificales, unus cum topasio, alter cum lapide serpentino, tertius cum amatiste, quartus cum balasio ficto; item alius cum zaphiro.

Cistula cuprea cum reliquiis.

Calix magnus deauratus argenteus, donatus per magnificum Andream de Koszcelec regni thesaurarium, datus est ad ecclesiam Anno Domini 1518 in mense Augusto. (*Haec manu epi Drevicii scripta*).

Scatula parvula cum margaritis collectis.

Curvaturae.

Curvatura argentea magna, cum rosis et angelos habens in superficie, tota deaurata, tres porciones argenteas pro baculo habens.

Curvatura magna Sbiluti episcopi deaurata, sine baculo.

Alia curvatura minor deaurata, habens baculum argenteum ex tribus porcionibus.

Baculi duo ex argento non deaurato, antiqui.

Infulae.

Infula magna ex margaritis, habens triginta duo monialia et in lineis viginti duo parvula monialia, cum rosis ex margaritis, et decem nolis argenteis deauratis.

Infula minor cum certis lapidibus, habens in lineis rosas, cum decem nolis deauratis.

Infula ex margaritis insuta, habens duos zaphi-
ros in summitate, cum armis Dambno in lineis, et de-
cem nolis argenteis deauratis.

Infula ex adamasco alba, cum decem nolis ar-
genteis in lineis pendentibus.

Pontificalia.

Pontificale ex pargameno, nigro axamito ^{obole} obvo-
lutum, argento deaurato ornatum.

Pontificale rubeo axamito obvolutum, ex parga-
meno, cum pauco argento.

Pontificale cum armis Dambno, ex pargameno.

Pontificale vetus ex pargameno, cum armis Po-
mijan.

Pars Pontificalis ex pargameno cum praefaciis.

Missalia.

Missale ex pargameno in axamito rubeo, habens
ex argento deauratos globos alias puklije.

Missale ex pargameno, nigro axamito obvolutum,
in primo folio habens rosam albam pro armis.

Liber Horarum in pargameno, argento decoratus.

Liber Evangeliorum antiquus, adornatus argento.

Argentum a Creslao Episcopo.

Duodecem cuppae deauratae, ponderantes cen-
tum tredecem marcas et communiter omnes rosam pro
signo habentes.

Quinque cuppae parvae, rotundi et plani la-
boris.

Scutellae quatuor magnae argenteae, et quinta
minor.

Pulvinaria.

Pulvinar magnum rubei axamiti cum auro, la-
boris turcici.

Pulvinar magnum rubei axamiti, simplex.

Duo pulvilli ex axamito cum auro, unum rubeum
et aliud viride.

Duo pulvilli unum rubei athlasii, aliud rubei
coffer.

Balsami in duobus vitris parum.

Anno Domini 1538

legata et data Ecclesiae Wladislaviensi per
Reverendissimum in Christo Patrem Dominum

JOANNEM KARNKOWSKI

episcopum huius Ecclesiae.

Imprimis Calix aureus cum lapidibus Rubin, Ba-
las et Saphiris tribus, laboris excellentis.

Item. Pelvim et infusorium argentea. *malenka*

Item. Duo candelabra argentea.

Item. Crucem argenteam laboris Norembergensis.

Item. Ampulas argenteas inauratas. *in fa t. XVIII, 34*

Item. Faldistorium cum globis argenteis et tec-
tura rubea de axamento.

Item. Pontificale cum argento, in rubeo veluto.

Item. Casulam albam de adamasco albo, auro in-
textam, cum apparamentis omnibus ad ea spectantibus.

Item. Casulam nigram de veluto auro intextam,
cum suis apparamentis.

Item. Casulam de raso pavonaceo alias hatlas,
cum suis apparamentis.

Item. Cappam de adamasco albo, auro intextam
cum fimbriis.

Item. Tecturam faldistorialem de veluto nigro,
auro intextam, cum armis Junosza.

Item. Cussinum de veluto nigro, cum aurea zona,
faldistorialem.

Item. Mitram pontificalem de adamasco albo, cum
appenditibus inauratis argenteis.

Item. Tunicellas duas de alba taffa florentina,
cum zonis et globis aureis filatis.

Item. Tunicellas duas de taffa pavonacea florentina, cum zonis et globis similibus.

Item. Sandalia de raso rubeo cum auro filato.

Item. Sandalia de veluto albo cum auro filato.

Item. Sandalia de hatlasio rubeo auro intexto.

Item. Duo paria chirotecarum pontificalium, quorum unum cum gemmis.

Item. Duae scatulae, una pro servandis tunicellis, alia pro mitra pontificali.

Item. Auleam cum imaginibus trium Regum flandrensem.

Item. Duas auleas uniformes satis latas.

Item. Auleam unam cum armis suis, italici laboris, de panno.

Item. Pro anniversario perpetuo Capitulo sexingentos florenos per mediam sexagenam.

Argentum in monasterio Pelplinensi.

Imprimis: Baculus pastoralis argenteus.

Item. Crux argentea cum parte bona ligni vitae.

Item. Monstrancia argentea.

Item. Imago beatae Virginis argentea.

Item. Imago beatae Barbarae argentea.

Item. Calices duodecem usitati.

Item. Calices octo in scrinio calicum; patenae totidem.

Item. Humeralia sex argentea deaurata.

Item. Humeralia cum fibulis minoribus, novem.

Item. Quatuor scapularia cum sex iconibus argenteis.

Item. Ampulae argenteae deauratae duae.

Item. Antependia altaris maioris duo, cum fibulis argenteis.

Item. Pontificalia quinque.

(Lib. 4, fol. 271—282 *Archiv. Capit. Wladisl.*)

Nota. Haec, ut facilius a lectore intelligi possint, descriptissimus orthographia hodierna, et adiecimus interpunctiones, quae in originali ubique desiderantur.

III.

CONTINUANTUR VITAE EPISCOPORUM WLADISLAVIENSIIUM.

Sbigneus de Oleśnica.

Jacobo Sienieński ad Gnesnensem Ecclesiam translato Anno Domini 1473, Sbigneus de Olesnicza, armis Dambno insignitus, et iam Casimiro regnante, Vicecancellarius Regni existens, ad Wladislaviensem Ecclesiam postulatus est et suffectus, praefuitque laudabiliter Ecclesiae Wladislaviensi Annos septem. Jacobo Sienieński Archiepiscopo Gnesnensi defuncto, ad Gnesnensem Ecclesiam translatus est, in qua archiepiscopabat Annis tredecim. Homo literaturae satis bonae, saepeque verbum Dei praedicabat. In Republica satis magnus habitus est, et consilio valuit. At propter quasdam res obstinate gestas, Regis animo offenso, postea in Reipublicae actionibus auctoritate pristina destitutus, remissior habitus est, et bella intestina ob certorum amicorum quosdam casus, cum Ecclesiae detrimento fovere coactus fuit.

Andreas de Oporow.

Dumque Sbigneus Sedem Gnesnensem possideret, ut praemissum est adeptam, Andreas de Oporow J. U. Doctor, tunc Regni Poloniae Vicecancellarius, ex Episcopatu Premisliensi et perpetua Varmiensi Ecclesiae administratione ad Ecclesiam Wladislaviensem, Rege Casimiro favente, per Sixtum Summum Pontificem translatus est. At manente Casimiro Rege in Lithuania, ipse quoque officium Vicecancellariatus administrans, ibidem cum Rege mansit, nec ad Ecclesiam suam unquam venit, tandemque illic manens, aegritudine gravi febrili Vilnae correptus, ad Ecclesiam se conferre decrevit. Dumque iter arripuisset, in Merecz humanis excessit. Sic itaque

mortuus, Wladislaviam ad sepeliendum deductus est, cui vivo ad eam venire non contigerat (1484). Hic autem episcopabat annis tribus. Vir ingenii prompti, inventionisque facilis, sed mutabilis. Non videtur vero aliquod beneficium Ecclesiae praestitisse.

Petrus de Bnino.

Petrus de Bnino, Mosczyński cognominatus, navem pro insigni gerens, Andreae Oporowski Casimiri Regis favore successit, ex Premisliensi Ecclesia Summi Pontificis Sixti translatus est (1484). Vir procerus, morum gravitate imbutus, sed doctrinae mediocris. Idem vero quia multis debitis involutus fuit, parum ornamenti Ecclesiae aut instaurationis adiecit. Episcopavit autem annis fere decem. Mansuetus in omnes, nemini ullam offensam inferens. Quoniam vero podagra laboravit, crebrius se circa Ecclesiam mora continuit, et Calimachum Etruscum ex Sancto Geminiano oriundum, virum doctrina excellentem et rerum experientia peritissimum, filiorumque Regis Casimiri praeceptorem, secum semper in magno honore fovit. Idem vero Calimachus, beneficii accepti ab eo gratus, marmoreum Mauseolum sumptu non paucio ei in memoriam constituit et Epitaphium carmine eleganti per se editum, monumento affigere procuravit. Obiit autem praedictus Petrus Anno Domini 1494, Martii mensis die VII, et eiusdem mensis die XXV sepultus in ecclesia cathedrali Wladislaviensi.

Creslaus de Kuroswanki.

Creslaus de Kuroswanki Regni Poloniae Cancellarius, de domo Rosae albae, Petro successit, Serenissimo Rege Joanne Alberto favente, et Alexandro Papa Sexto sibi providente. Prima mensis Junii electus fuit, Anno Domini 1494, possessionem nactus XV No-

vembris, postea ad ecclesiam venit Januarii die 4 anni sequentis. Vir doctrinae mediocris, in cultum tamen Ecclesiae propensus. Nam priorum Episcoporum negligentiam in ornanda apparatus ecclesia supplevit, et officium de S. Trinitate quotidie cantandum instituit, certo argento ad faciendam fundationem relicto. Argentum vero in alios usus conversum est, et Serenissimus Alexander Rex dotationem eiusmodi officii instituti cantandi roborans, donavit Gostinensem Capellam Vicariis Ecclesiae Wladislaviensis incorporandam. Praefuit autem Ecclesiae eidem Creslaus annis circiter novem. Et in Wolborz, paulo post mortem Friderici Cardinalis, regiae stirpis et Archiepiscopi Gnesnensis et Cracoviensis Episcopi, vitam cum morte commutavit. Eo vero mortuo, dum ad sepeliendum Wladislaviam duceretur, a suis fratre et nepotibus, bona Ecclesiae plurima molestia affecta sunt, et praedia in praedam posita et tota suppellectilis, quae magni praecii fuit, per eosdem cognatos direpta. Idem tamen ex illa magni sui animi munificentia, Ecclesiae reliquit argenteas cuppas et scutellas in usum episcoporum sibi successorum, et crucem auream gemmis adornatam. Item duas infulas, margaritis ac gemmis non parvi pretii adornatas, et arces multas neglectas, non parva impensa instaurare coeperat. Mortuus est in Wolborz Aprilis die V, sepultus Wladislaviae eiusdem mensis XXVII, Anno Domini 1503, regnante Alexandro.

Vincentius de Przeramb.

Per translationem ex episcopatu Plocensi, favente Serenissimo Rege Alexandro, et Julio Secundo Pontifice providente, Creslao successit. Electus autem fuit mensis Junii die XXII. Qui quidem etiam Regni Vicecancellarius regnante Serenissimo Joanne Alberto fuit, et officio Vicecancellariatus, Episcopatum Plocensem adeptus, cessit. Litteraturae mediocris fuit, conversationis tamen humanae, ornatum in Ecclesia non auxit, nec in aedificiis construendis se mul-

*Dammalewicz
ma. A. date 95
unio
jullo rector ad Remo*

*2216
" Def. cap.
" 1363*

tum occupavit. Licet tamen nonnihil reparavit in his quae tempore suo igne conflagrata fuere. Episcopavit annis fere XI, et subinde apoplexia correptus, post duos annos ferme moritur. Idemque quasdam in decimis alienationes fecit. Mortuus est autem XX mensis Septembris, Anno Domini 1513, et in Wladislaviensi sepultus ecclesia.

Mathias de Drzewicza.

Bovem pro insigni gerens, Regum Johannis Alberti, Alexandri atque Sigismundi Vicecancellarius et postea Cancellarius, Reverendissimo Domino Johanni de Lasko ad Gnesnensem Ecclesiam assumpto, beneficio Sigismundi Regis, factus. Ex Premisliensi Ecclesia ad Wladislaviensem clementia Leonis Papae X Anno Domini 1513 translatus est, et XX mensis Decembris electus, et illico vigore Apostolici Brevis receptus est. Postea vero labore officii Cancellariae pertaesus, dum eundum esset ad Conventum cum Maximiliano Romanorum Imperatore ac Wladislao Hungariae Rege in Ponium, officium sponte resignavit. Hic vero qualis in vita et circa Ecclesiae regimen futurus est, exitus eius postea demonstrabit, nam eius sortes in manu Dei positae sunt. Ad Ecclesiam Gnesnensem translatus Anno Domini 1531 in mense Augusto. „Anno Domini 1524 Julii 24 ego Mathias episcopus ex domo Dreveciana ortus, Ecclesiam Wladislaviae antecastrensem in honorem divi Stanislai patroni Regni, sumptibus meis factam, consecravi“ *). Anno Domini 1526 Serenissimus Rex Sigismundus, me Mathia de Drzewicza episcopo Wladislaviensi instantissime sollicitante, in Terras Prussiae profectus fuit, et in Gedanum ex Marienborg profectus. In qua quidem Gedanensi civitate, ex tumultibus et motibus

14/3
1503 pro skian
Fide de 2/9
apud mathie
Drevec

mispraeceptione testis
*) Vitas epporum Jacobi Sieniński, Andreae Oporowski, Petri Moszyński, Creslai Kurozwański, Vincenti Przerembski, et haec sui ipsius, concinnavit, et propria manu conscripsit epus Mathias Drzewicki; qui hic in prima persona loquitur.

popularibus omnia divina et humana confusa fuere. Nam haeresis Lutherana, omnia Ecclesiae Sacramenta turpi opinione infamans et abrogans et quosdam abominandos ritus et caerimonias persuadens, turpiter in eam civitatem pseudopraedicatorum ductu irrepserat. Qui quidem ritus et caerimoniae, populo dum acceptae essent, propterea quod ieiunia, quod confessiones, quod Sacramenta, vetustae observationes in Ecclesia Sancta Dei abrogarent, de facili robur accipiebant, ita ut probi presbyteri et religiosi sexus utriusque, ab ea civitate expulsi fuere et praecipue hi omnes, qui matrimonia contrahere recusabant. Sed proh dolor! multus Clerus et saecularis et religiosus labe haeretica infectus, sponte in matrimonia contrahenda inclinabat. Cum vero multi contraxissent, officia suae Ecclesiae haeretice denique illo ritu Lutherano et lingua vernacula almanica exercebant, pseudo enim Sacerdote officiante totus populus in Ecclesia psallebat, ululabatque monstruosissime, Sacerdos vero non consecravit, cum communicantem non haberet et si quid consecrati suo modo Sacramenti relictum fuit, ipsemet non consumpsit, sed tanquam virtutem Sacramenti non habentem, ad partem altaris irreverenter, sicut nec reverentia dignum fuit, proiecit. Dumque haec abominabilia in Ecclesiis Dei agerentur, et populus Sacerdotum praedicatorum haeresem clamoribus quotidianis ad tumultuationes sollicitaretur, et ad libertatem Evangelicam vocaretur, constituti fuere plebis consensu ex mechanicis ribaldis duodecem personae rudes et litterarum ignarae, ut religionem illam promoverent, et materias haereseas praedicatoribus praedicandas suggererent, ut frequentioribus declamationibus tanto facilius populum deciperent et ritum Ecclesiae Romanae omnem a civitate evellerent, et feliciter prophanas suas cogitationes adinventionesque obfirmarent. Recepto toto argento et auro de Ecclesiis, sacrisque vasis et reliquiis Sanctorum prophanatis, Magistratum civitatem nomine Regio administrantem, plebs tumultuatione facta, quibusdam auctoribus sese

ex plebe ducentibus exauctoravit et eiecit, novumque Magistratum haeresem promoventem designavit, omniaque officia, quibus dirigebatur civitas, prout visum fuit auctoribus tumultuationum, distribuit. Atque sub divo seu ut ipsorum verbis utar, sub coelo flaveo iuramentum fecerunt, ea quae fecerunt tueri, Regiae vero Maiestati fidem etiam iurarunt. Et tamen interea donec Maiestas Regia ad ipsos veniret, etiam metuentes poenas, modos quaesierunt, quibus vel Regem placarent, vel alium Dominum suo proposito congruentem invenirent, qui ipsos tueri valeret. Dumque ea mala coalescere solidius cum maximo scandalo caeterorum in Prussia coepissent, et obstinatis animis in deterius semper ruerent, iurisdictione mea episcopali poenitus explosa, et Mandatis Regiis in nihilo obsecundantes, Maiestas Regia sacrae religioni prospicere volens, et errores quibus imbuti in illa civitate essent emendare, me maiorem in modum sollicitante, ex Marienburgo, prius quatuor primis Consiliariis saecularibus viam paraturos cum equis quadringentis praemissis, ipsamet Gedanum profecta est. Ad quam tunc forte et sua sponte Dux Georgius Pomeraniae venerat. Equidem vero praecessi, ut in Ecclesia maiori, quae etiam cultu haeretico prophanata erat, Regiam Maiestatem reverenter exciperem. Quodque feci cum parva admodum cleri caterva, quippe quod quidam in occulto manentes, in publicum prodire metuebant, quidam vero habitu clericali deposito, rebus prophanis et uxoriis insistebant. Cumque Maiestas Regia iam urbi appropinquasset, populus effusus, in obviam suae Maiestati numerosissimo coetu prodiit, et ille etiam Magistratus noviter constitutus eques, et superbe ad excipiendum Regem gratulabundus progressus est, et ne aliqua fraude uteretur, satis commode provisum fuit.

Nota. Hic desinit enarratio et manus episcopi Drevicii.

2^o Continuator

Joannes Karnkowski.

Mathia Drevicio de Sede Wladislaviensi ad Gnesnensem Anno 1531 prima Augusti per Clementem

fol. 12

Papam Septimum translato, Joannes Karnkowski, de armis Junosza ex patre, sed Jelitów ex matre, in terra licet Leopoliensi vico Żmigrod genitus, de terra tamen Dobrzynensi et vico Karnkow oriundus, magni illius Philippi Calimachi educatio et Joannis Polijak viri militaris rei peritia insignis, ex fratre nepos, Serenissimo Principe Sigismundo primo Poloniae Rege, cui fuit a secretis per annos plurimos, utpote toto sui Regni tempore, favente, et Summo Pontifice Clemente VII providente, de Premisliensi Ecclesia ad Wladislaviensem est translatus. Vir non mediocris eruditionis acrique ingenio, de Republica Polona Regeque ipso bene meritus, eius enim opera, dum adhuc Secretarium Scarbimiriensem, ac deinde et Cracoviensem Praepositum ageret, usus est Princeps ille prudentissimus in multis et magnis Reipublicae negotiis, multis videlicet et plurimi momenti legationibus, quum ad alios Principes tum vero quam maxime ad Serenissimum olim D. Wladislaum, deindeque et illius filium Ludovicum, Hungariae atque Bohemiae Reges, in quibus obeundis dexteritas fidesque hominis multum enituit. Vir ante annos venerabilis canitie egregiisque naturae dotibus insignitus, quibus tamen non parum detrahebat irae, cuius erat impatiens, iusto maior affectus, cui ille nescivit moderari, imo plus nimio indulisit, etc. Arcem episcopalem in Raciaż instauravit, turre nova consumata, instaurassetque et alia bona sui episcopatus, si ei vitam longiorem, aut saltem bonam valetudinem, fata aliquando dedissent. Anno enim dum Wladislaviensi praeest Ecclesiae, tertio nondum exacto, in Conventu Generali Piotrcoviensi, morbo paralysis correptus, dum Cracoviam, ut suae consulat valetudini, revehitur, ibique toto recumbens quadriennio, nihil proficientibus medicis, morte levissima, ex hac est luce XI Decembris Anni 1537 sublatus, atque in ecclesia sua, cui non parvi pretii suppellectilem in auro, holoserico atque argento legavit testamento, est tumulatus.

Handwritten notes in the right margin:
 10/15 1501
 Wlad II,
 943 m
 4534
 Quin
 Sm. rer. pol.
 T. II
 Tok. Pao. I,
 Żw. Juchni
 4. N. Cr.
 Pod. mar

Handwritten notes in the left margin:
 a. 1537
 1537
 vol. Metalemic
 267. 32.

Lib. 4 fol. 9-12.

Abrahd naturandae reharbellio nobilis Johanne Karnkowski 9/6
 1493 (1493 III, 459 m 488) 2202 m to inny

Lucas a Gôrka.

Lucas comes, clarissima Illustrium Comitum à Gôrka, Navis de familia, oriundus, ex Palatino Posnaniensi in episcopum Wladislaviensem a Sigismundo Primo Rege Poloniae nominatus, deinde aliquot post mensibus per Summum Pontificem Paulum Tertium confirmatus, Ioanni Karnkowski successit. Vir affabilis, maximae prudentiae, eloquentiae et iudicii, non solumque apud suos, sed etiam extraneos principes insignis famae autoritatisque, et ut in anteriori statu ac Magistratum diversis dignitatibus, circiter annos quadraginta, summum, splendidissimum, locupletissimumque Regni procerum, et Reipublicae valde utilem sese declaravit, ita Episcopum pium, iustum, ac diligentem vitiorum castigatorem, libertatis publicae et communium iurium custodem defensorumque praestitit, denique quod ad boni pastoris officium pertinere videbatur, nihil optans praetermittere, diu noctuque distinctis temporibus (salmim meridie cibo sumpto), intentissime remotis interpellatoribus quibusvis, iusta parte diei in templis absumpta, orabat, multoties populi Dei diebus festis in concionibus Evangelium et Scripturas sacras interpretatus est, neque contemnendum ad hoc in pauperes, ultra quot de mensa ipsius alebantur, singulis diebus erogabat pecuniae numerum, si quis praeterea aut aerumnosorum aut egentium opificum, viduarum, nubereque volentium virginum, opem implorans offerebatur, nemo unquam sine liberali consolatione dimissus est, atque si plura recensenda eius pietatis et munificentiae monumenta sint, anno quolibet plurimos pauperum diversis in locis vestivit. Agnoscunt etiam monasteria xenodochiaque suam liberalitatem, cum moesta oculis talem benefactorem requirant. Porro fundavit is Mansionarias diversis in locis dominiorum suorum cum adhuc in temporalibus esset aliquot, quibus etiamnum Szamotyly Collegium Canonicorum adiunxit, ibi siquidem, sed Posnaniae plerumque degere solebat, semel quolibet anno tan-

tum ecclesiam suam, partim negociis publicis impeditus, partim forte suorum et loci patriae amanti indulgens, visitabat, eoque erga ecclesiae subditos negligentior aliquibus esse visus est. Sed de his haec tenus. Sequuntur quibus ecclesiae suae profuerit. Id quod in primis cereae candelae tredecem in ecclesia sua Wladislaviensi ante maius altare super epistilium ferreum positae, ut festis diebus accensae sumptu suo lucerent, testantur. Capellam ibidem extruxit et ornavit, in eaque Missa nunc de Beata Virgine *Rorate*, quotidie, per eum empto censu pro sacerdotibus, canitur. Calicem aureum et nonnulla ornamenta, antependia videlicet, ornatus, dalmaticas, cappas et pedum seu baculum pastorem, insignibus eius signata, vel potius decorata dixerim, eidem ecclesiae reliquit, proque bonis episcopalibus servandis, graves lites et controversias cum aliquibus non mediocri status hominibus gessit. Caeterum omnibus provenitibus integri unius anni episcopatus ecclesiae suae legatis, Reverendos et Venerabiles fratres suos exequutores esse voluit, et quod vivens facere meditabatur, testamento ex eisdem ad erigendam Psalteriam et alia necessaria, Ecclesiae providenda ordinavit. Quoniam vero Dantisci, Prussiae civitate nobili, civium nonnullorum, partim iam multo antea, partim recentius ortis erroribus, de fide dissidentium impetus, per litteras ac per nuntios reprimere non valuit, iter ea de causa diu institutum, maxima omnium Ordinum illius provinciae cum expectatione, ad pacanda tanta dissidia, adiunctis sibi viris idoneis, non mediocri apparatu ingressus erat, neque vanos conatus fore, eius autoritas pollicebatur omnibus, si Deus ipsum a tam pio instituto non revocasset. Nam in Wronki, ubi primum pernoverat, maligna febre correptus, iterum in Szamotuly, unde discesserat, revehitur, quo in loco in dies invalescenti morbo, vires vitales succumbere sentiens, Eucharistiae Sacramento bis interdum sumpto, sacraque olei unctione munitus confirmatusque, ut decebat christianissimum Episcopum, dispositis rebus ex animi sententia omni-

bus, Anno aetatis suae sexagesimo, mensibus tribus et diebus duodecem, exactis, die duodecima Octobris, Anno Domini 1542 moritur, Episcopatus vero sui, ab electione computato tempore, anno quarto et mense octavo, atque inde ad Ecclesiam Wladislaviensem ab Illustri et Magnifico domino domino Andrea comite de Gôrka, Castellano Posnaniensi et Capitaneo Maioris Poloniae generali, filio suo pientissimo, ex Schamotuli, cum plurimo procerum Regni comitatu, nobiliumque ingenti turba deductus, honorificentissime ibidem exequiis confectis, imo iustis et parentibus persolutis, omnium Ordinum magno cum moerore sepelitur, cui Dominus Deus concedat gratiam suam et pacem.

*Tab. Historem
str. 68 .33.*

Nicolaus Dzierzowski.

Nicolaus Dzierzowski ex Episcopatu Chelmensi ad Wladislaviensem evectus est anno Domini 1543. Homo, quod posteritati propemodum incredibile videbitur, nullo ingenio, nulla eruditione et doctrina, nullis in Rempublika meritis, stupidus et bardus, ab omni cogitatione de religione et Republica alienus, nihil animo prospiciens ac vix ea quae ante pedes erant, ventri ac voluptati et stultae hilaritati, quam ille bonam vitam italico vocabulo vocabat, deditus. Pervenit autem ad eam dignitatem ope Dorotheae Soboczka, coniugis fratris sui Dzierzowski, palatini Mazoviae (ea tum erat ianua ad honores), charae imprimis Petro Gamrato Archiepiscopo Gnesnensi et episcopo Cracoviensi. Is enim apud reginam Bonam, quae per id tempus propter effetam et affectam Regis Sigismundi senectutem, summam rerum ad sese rapuerat, plurimum autoritate gratiaque poterat, ac pene regnabat in omnibus officiis et dignitatibus Regni distribuendis. Hac itaque ratione dignitatem episcopalem adeptus, cum tribus annis cathedrae Wladislaviensi praefuisset, nulla re memorabili gesta, ad Archiepiscopatum Gnesnensem post mortem Gamrati

*collocavit: u. 1543
m. 10. 10. Kapit.
1543. 10. 10. 10. 10. 10.
na. 10. 10. 10. 10. 10.
10. 10. 10. 10. 10.*

Scha to Kowchego

anno 1546, auxilio eiusdem Reginae Bonae, translatus est: cuius id erat institutum, ut homines rudes et omnium rerum ignaros, ad gubernacula Reipublicae spiritualia praesertim, collocaret, cum religionis, uti vita moresque illius testabantur, contemptu, tum ut stultis gubernatoribus Reipublicae et Ecclesiae praesidentibus, penes illam omnium rerum potestas esset. In Archiepiscopatu sicut et ante neque Reipublicae profuit, neque ulli vel ex necessariis praeterquam adulatoribus et lenonibus quidque beneficii contulit. Omnino deliberatum ac servitores admonere designarebat, ut si qui motus in Polonia exortus esset, vel si hostis aliquis regnum adoreretur, relicto archiepiscopatu, Venetias parvo comitatu profugeret, ac ibi reliquum vitae transigeret, pecuniam quoque ea de causa cumulabat, sed haec non pervenit ad necessarium manus. Lovicii domum novam, non tamen a fundamentis, in arce superati construxit, quam Reverendissimus in Christo pater et dominus Joannes Przerębski, lumen et archipraesul ecclesiastici ordinis ac regni primas, longe pulchriori artificio exornandum curavit et reliquum structurae in arce superiori perfecit. Obiit anno Domini 1559, putrefacto ventris obolomine et una cum materia corporis, quae dissolvebatur, patefacto meatu ad umbilicum effluente.

Andreas Zebrzydowski.

Andreas Zebrzydowski de Wienczbork, ex familia Radvanorum, Erasmi olim Roterodami auditor, tunc vero epus chelmensis, Nicolao Dzierzgowski successit anno 1546, per Sigismundum I Poloniae regem designatus, et per Paulum III papam institutus. Praedia Episcopi agris, piscinis, aedificiis, quaedam instauravit, nonnulla erexit, pene vero omnia auxit. Arces iam labantes moenibus sarcivit; in iisdem loca squallida in nitorem, obscura in apertum, rustica et humilia in urbanam quandam politiem atque magnificentiam reduxit: ac omnino mensae Episcopi, quod

in se fuit, undique prospexit. Ad extremum anno 1551 in Cracoviensem ecclesiam per Julium pp. III, ad Sigismundi Augusti regis designationem, translatus est. Mores atque ingenium hominis, dum is vivit, describi nec fortassis possunt, nec omnino debent. Supplebit grata posteritas.

Et posteriori, alia quidem, veteri tamen manu, vita epi Zebrzydowski, hoc modo descripta legitur, ut sequitur.

Andreas Zebrzydowski ex episcopatu Camenecensi gradu facto, Nicolao Dzierzowski in episcopatum Wladisl., quem a regina Bona quatuor millibus aurerorum redemit, anno Domini 1546 successit. Discipulus hic fuit Erasmi Roterodami, ingenio prompto et apto ad dicendum, sed re mediocri quidem eruditione praeditus, cum nihil opere neque in sacris neque in profanis litteris poneret, neque ullam ex eis caperet voluptatem. Erat autem libidini et scortis inde usque ab adolescentia deditus, et cum scortum quoddam celebre Cracoviae, Muscam appellatum, in deliciis haberet, ab eo quoque ipse quoad vixit Musca fuit nominatus. Cum autem ad episcopatum pervenisset, coepit etiam esse habendi in imo plus cupidus, adeo ut pecuniae cumulandae toto animo atque cogitatione incumberet. Raro admodum, praesertim cum esset episcopus Cracoviensis, in sede et specula sua manebat, ne propter hominum frequentiam sumptus maiores facere cogeretur, sed partim parochos in sua dioecesi obequitabat, et propter comeatum quem in aulam illius suppeditabant, aliquid ab eis extorquebat; partim in praediis suis habitabat, ut servitorum magnam partem a se ablegabat, qui ad iter fere tantum ad illum conveniebant, cum hoc solo nomine stipendia illis solveretur, ipse cum paucis quanto potuit compendio vivebat. Interdum etiam ad colonos suos ditiores ex itinere divertebat, et illorum tenuitate nihil solvendo pascebatur, saepe ad triduum a cibo abstinebat, vel ob iram, cuius erat impatiens, vel ut

3^u Continuator

Rubricat p. 1000

Ugo aned.
Gomulkego

minus expensum feret, cum ad illius mensam, quae utique apud episcopos propter hospites et commensales laucior esse solet, nihil appareretur. Fertur tamen, interim cum nihil ad illius mensam pareretur, ad aliquem suorum, non raro solitus venire atque cum illo etiamsi non essent lauitiae auide multumque comedere. Visebat etiam ac lubens abbates in sua dioecesi, et si forte tapetes vel aliquid aliud suppellectilis elegantiores vidisset, mutuo accipiebat, neque unquam postea reddebat. Cum erat in cathedra, obibat praelatos et canonicos, et a singulis quod illi placeret aliquid auferebat, atque haec quidem privatim. In sonatu autem, tametsi dicenda sententia promptus, copiosus, ac mordax esset, gravitatem tamen non habuit, neq. senatori necessariam, quam Thucides Politiken synesein vocat, civilem prudentiam. Saepe excandescebat, et tum erat in gestu et sermone ridiculus; saepe sententiam mutabat ac scenae serviebat, pietatis in Deum nulla erant in illo indicia, cum negotiis saecularibus et pecuniae magis quam cultui divino operam daret, ac se quantum posset a cathedra sua removeret. Quamobrem cum semel atque iterum armis non pietate novatores religionis, inter quos erat Crupka, sacerdotesque apostatas in episcopatu Cracoviae reprimere voluisset, nihil profecit, auctoritate illius in contemptum adducta. In egenos suos admodum illiberalis, nec solum nihil illis unquam dari iubebat, verum etiam ab illorum inopiae calamitatisque spectaculo valde abhorrere videbatur. Ferebatur etiam non obscure aliquoties ex illo auditas esse voces, de Christo et religione christiana impias, verum ipse sic excusabat, et quorum insimularetur, non ex suo sensu, sed ut ab Erasmo audivisset, se dixisse. Ad episcopatum Cracoviensem largitione et pactione pensionum evector est anno Dni 1551. Eos autem quibus applausibus seluserit, ut facile hominis ingenium agnoscas, nonnulla de causa silentio legendum putavimus. In hoc episcopatu magnam pecuniae vim collegit et plurimas possessiones fratribus coemit, non tantum ex redditibus episcopatus, cuius redditus ma-

ioribus quam alii auxit exactionibus, verum etiam beneficiis venalibus, quae ne servitores quidem illius gratis consequebantur, et undequaque pecunia, tam a testatis quam ab intestatis sacerdotibus, rapienda. Altruum Wolboriae, sala vulgo vocant, singulari proportione et pulchritudine, dum esset episcopus Wladislaviensis, dirutis aliis habitaculis quae eodem in loco erant, extrui, et imagines omnium episcoporum cum subscriptionibus usque ad suam ipsius aetatem, in eo depingi curavit; ornaverat etiam laquearia emblomatis inauratis. Sed ea cum ad Cracoviensem episcopatum proficisceretur demi iussit, nulli tamen usui postea illi fuerunt, nam cum per forum Cracoviense veherentur, omnia curru everso confracta sunt, idem accidit fenestris vitreis, quas e Wolboria et Wladislavia secum asportaverat.

put ap

Joannes Droiewski (Drohoiowski).

Joannes Droiewski, Andreae Zebrzidowski in episcopatu Wladislaviensi successit. Is, cum adhuc in minoribus esset honoribus, apud Petrum Gamratum Archiepiscopum Gnesnensem et episcopum Cracoviensem fuit gratosus, ac inde existimationem aliquam sibi conciliavit. Secretarius demum Regius factus, cum ad episcopatum Camenecensem aspiravit, ex eo ad Wladislaviensem translatus est. Erat facie liberali et non insvavi sermone, iudicio tamen instabili et ingenio levi ac facile mobili. Nam ut in aliis rebus, ita in religione facile de sententia deducebatur, animo mutabat et nunc hoc, nunc illud sentiebat. Itaque cum forte catholicus aliquis cum illo de religione loqueretur et fraudes haereticorum efficacibus argumentis demonstraret: Viden! inquit, in quas me insidias pertrahere voluerunt; rursus cum aliquis haereticorum aliquid in catholica religione apparentibus argumentis traduceret, Hem, aiebat, hanc non animadverteram captionem. Prudentiam ille quidem et gravitatem praeseferebat, sed levitas haec animi cito ac facile se

*propr. Gauda
sall. Drohoiowski
secretar. Regius*

substant. parricidii

in illo prodebat. Ab amicis et necessariis suis levi momento quo volebam impellebatur, et his auctoribus in subditos durior graviorque fuit, cum illi commodis suis non existimationi episcopi, consultum vellent; a venere quoque, quamvis id esset oculcius, non fuit alienus. Obiit anno Domini 1557.

Jacobus Uchański.

Jacobus Uchański, mediocri familia, nobili tamen et honesta natus. Adolescens primum operam suam Andreae Tenczynio Castellano Cracoviensi adiecit, cui cum fidem et ingenium suum iusto tempore probasset, ab eodem Dno Baraniecki Referendario Regni commendatus erat, ut eius ductu atque opera iuris patrii cognitionem assequeretur, in quo studio brevi temporis intervallo tantum profecit, ut omnes actiones domini Castellani Cracoviensis felicissime procuraret. Tandem Tenczinius voti ac religionis causa extra regnum profecturus, eidem omnes suas possessiones gubernandas commendavit. Quo postea in Poloniam reverso, et non multo post defuncto, ad reginam Bonam, cui iam ex fama publica commendatus erat, se contulit, a qua benigne acceptus, et simul in Secretarium Regium est adoptatus. Omnes causas et actiones reginae Bonae, in quibusvis iudiciis disceptabat. Postea Decanatu Plocensi et Archidiaconatu Warschaviensi provisus; officio Referendarii cumulatur, quo quidem integris duodecim annis perfunctus est. Episcopatu deinde Chelmensi auctus, in cuius expeditione impetranda, ultra duos annos laborabat. Nec multo post Episcopatus Wladislaviensis eidem confertur, in quo assequendo maxima usus est difficultate, Paulo IV pontifice maximo obsistente, a quo etiam poenali monitorio fuerat correptus, eo quod diversae in religione opinionis nomine ad S. Sedem delatus esset. Ille nihilominus repugnante Summo Pontifice ad Ecclesiam venit, possessionemque profano more apprehendit, fructus Episcopatus sibi

usurpavit, non habita consecratione, a processu Pontificis provocavit ad Concilium Tridentinum et ad Comitata Regni. Dum haec ita aguntur, Pontifex Paulus IV moritur, cui Pius successit, apud quem demum confirmationem, Rege Augusto admittente, impetravit, cum fere per annos quatuor nullo iure Episcopatum tenuisset, quem adeptus, inprimis iniquus coelibatui erat, sacerdotibus passim in sua dioecesi licentiam matrimonii contrahendi concesserat, unde maxima scandala fuerunt exorta, et quidem hic error adeo alte radices fixit, ut multo tempore maximoque negotio extirpari vix potuerit. Tandem Przerembio Archiepiscopo defuncto, ad eundem honos ille fuerat a rege delatus minus feliciter, nam eo in Archiepiscopali dignitate constituto, iurisdictio spiritualis periclitari coepit, seu potius integra concidit. In ecclesia hac nullo beneficio, varietate fortunae duntaxat, ac sola nominis nuncupatione relicta, memorabilis exitit.

through to here

Nicolaus Wolski.

Uchanio successit Nicolaus Wolski, clara et illustri familia ortus, a rege Sigismundo Augusto, primo Praepositura Plocensi auctus, deinde ab eodem in Chelmensem Episcopatum euectus, postremo ad ecclesiam Wladislaviensem promotus. Vir magni et excelsi animi, summe liberalis, qui brevi eam auctoritatem in regno assecutus erat, ut Augustus rex ex eo pendere videretur. Sed negotiorum reipublicae quam rei ecclesiasticae studiosior erat. Hic tres pagos episcopales: Lubienie, Chabrowo, Osiek, in Pomerania, vendiderat, pecunia in bonis suis haereditariis Phalenti ecclesiae inscripta. Quae illo defuncto, longo temporis intervallo, maximo labore ac sumptu aegre admodum est recuperata. Vixit in episcopatu annos quinque. Cum ei nuntium de morte fratris Stanislai Castellani Sandomiriensis, quem unice ac impense diligebat, Wolbodium fuisset allatum, dolore ac moe-

*in jessum
inproyarem
in arcylham
Niklan. u. r. h. Taski*

